

Ihs

dominica

in octava

pascche tit

14 III

Nh
1236



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Bl. 7.

T. 9.
II. C.
III. C.
IV. C.
V. C.
VI. C.
VII. C.
VIII. C.
IX. C.
X. C.
XI. C.
XII. C.
XIII. C.
XIV. C.
XV. C.
XVI. C.
XVII. C.
XVIII. C.
XIX. C.
XX. C.

XVII

66

3750

M. IOHANNIS SE-
LINI ZATECENI
BOHEMI

ITER ANHALTI-
NUM,

deq; eo doctorum ali-
quot virorum iudicia.

1. Timoth. 3 v. 1.

Si quis episcopatum appetit : præclarum
opus desiderat.



S E R V E S T Æ,
Excudebat Iohannes Schleer, Anno
OMnis honos & gloria sit Deo In aLtis.

MDCIII



1777


JOHANNES
NACH
1777

JOHANNES
NACH
1777

1777


1777

II
T
T
rei



de
tia.
me
con
den
is n
im
reo
cir
cio
tu
ven
ge
fen
den
sch





**INSIGNI DOCTRINA, PIE-
TATE AC AVTORITATE PRÆSTAN-
TIBVS VIRIS DD. MAGISTRIS, BACCALAV-
reis, univërloque in celebri Zatecenſium Repub. literatorum,
ſinceræ religionis ac ſtudiorum humanitatis fautorum
choro, civibus Zatecenſibus, Dn. ac fratribus ſuis
in Domino unice colendis & obſer-
vandis S. D.**



Cis ego æ ferè quotidie audio viri clarif-
ſimi, quæ ſint hominum noſtrorum non modò
plebeiorum, ſed eorum etiam qui vel ætate vel æ-
rum uſu alios antecedunt, de ſerio hocce propoſi-
to mea iudicia, quæ itidem opiniones. Ex o-
mnes tantùm abeſt, ut me enervent, ut etiam mi-
hi animum addant, ardentiusq; me in omnia ire
laudabilia iubeant ſtudia. Verùm cum illis diſ-
ceptare aut de mea me purgare ſententia non vi-
deo eſſe operæ pretium. Magis exoptata mea eſt mihi quàm ſera ſenten-
tia. Vobis vobis viri ornatiffimi, præclara chariffimæ patriæ meæ orna-
menta atque columina, propoſiti mei muſis adjutricibus ut exponerem
conſilium, ſimulq; cauſam probarem conſilii, in animum induxi qui-
dem meum, æ res eſt in manibus. Verùm cum ex familiaribus colloqui-
is meam vobis voluntatem cognitam atque comprobataſ perſpexerim;
immò verò conſilia cum plerisque communicaverim expetiverimq;: ve-
reor ne iſta aliquantulum prolixior deſenſionis tractatio, longiuſcula item
circumſtantiarum variarum, apud vos præcipuè, commemoratio ſuſpi-
cionem aliquam aut diffidentiam, aut puſilli (ſed & hinc, ut ſubſtem, me-
tuo) animi in re tam ſeria injiciam: vel ne etiam aliquid aliud parum cõ-
veniens ei rei, quam paro, aucupari videar. Applauſum, teſtor amicitiaæ
genium, non expeto. Calumnias aliquorum de miniſterio ſacro inſen-
ſentientium ac loquentium floccifacio. Operam Eccleſiæ Dei impen-
dere; artium optimarum principi, quæ ad Deum & ad veram directæ eſt
ſelicitatem, me totum addicere (quid dicam, Chriſti myſtam profiteri ?)

A 2

non



non ego peculiari datum iri laudi mihi putabo? non ego sanctam animi
jucunditatem, optatissimam conscientiae tranquillitatem, genuinam in-
terioris hominis delectationem, isthuc cum sim praecipue aetatis, eo in of-
ficio licet undiq; periculoso sitam esse arbitrabor? Spacium cogitandi satis
longum dabatur. Respirare per Iesum liceat à tot tamq; diuturnis molesti-
is, quæ animum meum miris disruebant modis; emergere à sordibus
illiberalibusq; occupationibus; reviviscere demum insperato divinæ gra-
tiae adventu. Rectam, sic me Christus amet, hic adhibeo voluntatem: re-
liqua Deo permitto. Etsi autem scripturam istiusmodi plane sum inso-
lens (nihil siquidem abhinc annos prope 20. etiam incitatus ac saepe invi-
tatus meae curtae mihi conscius supellectilis in lucem edidi): imperavi ta-
men vel nunc semel animo meo licentiam aliquot meo de proposito con-
scribendi versus; in quibus citra omnem fucum vobis meum antea non
incognitum aperui animum, & quidem ea libertate, quam tanta postula-
bat necessitudo. Eos ipsos versus, meum tanquam informem partum, unâ
cum eruditissimis aliquot bene mihi cupientium amicorum scriptis post
longam tergiversationem ut ad vos mitterem, non ut munus, sed literatae
amicitiae veluti arram: vestra pia me ac religiosa impulit autoritas, optima
erga literas hominesq; literatos affectio, propensus deniq; in me amor ac
non obscura benevolentia. Ea verò vel sola (ut interea de patriae charitate,
in cuius memoria, Deum immortalem juro, sum eroq; semper diligens,
sileam) id quodam jure à me efflagitat, ut quos propter periculosum quod-
vis præstare debeam officium, hanc saltem honoris & observantiae erga
vos meae declarationem apud vos in posterum relinquam testatorem. Illa
igitur vestra pietas, ille consideratus sincerae religionis zelus, ille vester in
me meoq; amor, illa in patriam meam, patriaeq; in me charitas, illa deniq;
mea in vos observantia, qua in posterum vos retinere in animo habeo, vos
rogat vos prensat quàm studiosè quàm ingenuè potest, ut mihi familiari-
ter jam nunc vos compellanti ac vobis inprimis placere cupienti ignosca-
tis; mihi ex privatis periculis ad publicum sacri ministerii munus (quod
diutius diffugere religioni habeo) Deo mentem ac voluntatem mihi istam
suggerente aspiranti divinam impetretis benedictionem, voluntatem meam
in jugibus ad Deum precationibus vestris juvetis: à me deniq; ac liberis
meis tempore adverso respiciendis ne abhorreatis: ac, quod semper optabo,
benevolentiam integram atq; solidam, etiamsi quid unquam humanitus
accidat, mihi reddatis conservetisq;. Qua de pietate Dominum & propiti-
um & beneficum vobis esse cupiam, ampliusq; ac prolixius, quoad vix-
ero, vobis debebo. Valete rectissimè viri humanissimi, atq; in Domino Iesu
fratres

fratres animo meo longè charissimi. Incolumes vos omnes ad unum idem
sentientes patriæ meæ diu seruet Deus opt. max. Per scriptum Zatecii in
meis ædibus anno 1605. pridie nonas Quintil. quo die abhinc annos 195.
fidelissimus & constantissimus Christi martyr Bohemus M. Ioannes Hus-
sius ob puram cœlestis veritatis confessionem & prædicationem in Con-
cilio Constantiensi contra publicam datam ei fidem fermè indicta causa
hæreseos à pontificiis est condemnatus ac vivus combustus. Eius sancti
viri manes liceat non solum pacatos, verum etiam ab omnibus sacrosan-
ctæ veritatis cœlestis amatoribus laudatos quiescere. Iterum atque ite-
rum valete & salvete.

Vester verè & ex animo totus

Ioannes Selinius.



A 3

M. IO.

M. IOANNIS SELINII
ZATECENI BOHEMI DESVOIN
ANHALTINATVM SVSCEPTO

itinere elegia.

Nsignes pietate viros, urbesq; scholasq;
Teutonici properè gestio adire soli.
Ingenii quidam fors an nō improbus ardor
Dudum ad id impense me stimulavit iter.
Fata meis adversa obstabant fortiter ausis,
Meq; vel invitum detinuerunt domi.
Nunc eadem nostro vix exsaturata dolore
Instigant ad idem me violenter iter,
Meq; reum damnant voti, incusantq; morantem,
Quodq; solent raro, pollicitantur opem.
Quid faciam? quò me vertam? quod deniq; querā
Effugium? qua me forte vel arte premam?
Non rudis occulti voti est Deus, ipse quod ipsi
Teste ipso vovi: sed male per solui.
Heu mihi, cur me non aliena pericula cautum
Fecerunt canis antea dicta meis?
Cur meliora videns sum deteriora secutus?
Vitricus ipse mihi curq; sinister eram?
Scilicet urgenti audebo hæc ascribere fato
Damna, & in obstantes conijcere ista lares.

VI

Vi cautè loquar: Et fatum Et mea culpa notantur?
Pœna sed in primis testificanda mihi est.
Nil nisi peccatum mihi nil nisi culpa fatenda est.
Supplice at ipse Deus voce precandus erit.
Is castigato mihi uti bene sit, dabit; Et me
Insperata alacris, fido, iuvabit ope.
Quis scit, an ista frequens forte assè aliquando ruina
Conspicuum faciat meq; meumq; genus?
Illa repugnantem, invitum atq; insueta timentem
Sola vel ad magnum me stimulabit opus.
Non iter interea ad graviora mihi intercludet,
Sola solo qua sunt sed magis apta polo.
Privati ergo lares, in honor&q; otia lucis,
Ludicra tamq; alacri munia sumpta manu
Tandem aliquando valete meis male fida procellis:
Ambrosia refici nostra Thalia cupit.
Ille animi vetitus prodire in luminis auras
Ardor ad antiquum sponte recurrit opus.
Utq; reor, Deus ipse Deus mihi mitior aurem
Vellit, Et oblatis submonet officii.
Arcanis dudum stimulabar motibus iisdem
Pectora, persuasit mens male sana aliter.
Cuncta igitur cedant obstacula. jussa Iehova
Florento, in precio Et sancta manento suo.

Acido,

Accido, doq; manum supplex, Iovaq; vocanti
Humani viduus parco praesidii.
Sacra ministerii sacri neq; munia vito:
Illa sed à puero semper amata sequor.
Hanc sacram multis mirantibus ambio dotem:
Meq; Deo & patriae consecro spontè mea.
Propositi nostri summa est ea. Iam tua IESV
Adspiret coeptis gratia larga meis.
Quod das, accipio; duce te, quoq; innuis, ibo:
Sint licet instanti multa inimica via.
Me tibi me totum posthac committo regendum;
Sim licet infirmus: sed tuus esse precor.
Detrectabam onus id tot jam labentibus annis
Ah miser ipse meo me jugulans gladio.
Quas ego non curas, qua non ego tædia obibam,
Ingenio ac studiis cuncta aliena meis!
Brixa mihi testis fuerit, patria altera Brixa,
Oti & obsequii conscia sola mei.
Nempe Deo visum est hic me exercere periculis,
Inq; sua demum hic erudisse schola.
Vtilis ista mea fuit exploratio vite,
Qua me sic docuit saepe vocare Deum:
A fati Domino fato percussus acerbo
Censeor humana conditione miser.

Atq;

Atq; ita percussum cuncti avertantur amici &
Auxiliatricis mentio nec fit opis.
Nunc metus & spes conflagunt. tu Christe secundos
Nutanti eventus suffice quaeso spei.
Me tibi submitto, peto opem, expectoq; morantem,
Spe mea fatali sub cruce damna levo.
Fido tibi, & me credo tibi tu fata salubri
Aspera (nam Deus es) dexteritate levo.
Iam quicumq; meis minus est rationibus aequis,
Ac minus es nostra sortis & artis amans,
Parce precor risu, parce exoptare quod optat
Scurra levi scurra, quodq; scelus sceleri.
Non ego deliciis animum, si vivo, nefandis
Carpor nec vetita de decus arte paro.
Non quoq; ventosa iudex incallidus aure
Sum tibi. iudicio stoq; cadoq; Dei.
Nec, de me ut doleas multum, volo: Sed volo, de me
Exemplum ut capias, & tibi displiceas.
Fortuna neque fide tua, nimis illa reperta est
Subdola & inconstans mobilitate sua.
Barbarus insultet nobis, nostram improbet ausa,
Quisquis ab Aoniis est alienus aquis,
Perferam & obdurabo Dei solamine fretus,
Fatum & solabor spe meliore meum.

B

Auxili-

Auxilium quanquam omne hominum mihi con-
cidit uni :

Cœleste haud quaquam concidit auxilium.
Mens integra viget, manus est confracta sinistra:
Illa polum absq; manu tangit, aditq; Deum.
Is prece per motus menti manuiq; salutem
Conferet, optata meq; beabit ope.

Turbatricis at hic contemno murmura fame,
Mens mihi recta volens tegminis instar erit.
Sunt quos error is, & quos nostra pericula tan-
gunt,

Quos certum est nostris indoluisse malis.
Hos amet, hos curet, servetq; o hosce I E H O V A,
Hisq; statu vita det sine nube frui.

Quin etiam qui nostrum irrident flebile fatum,
Exiguam censu despiciuntq; domum,
Isti isti quovis vivant in honore, suoq;
Ingenio atq; opibus perpetuo vigeant.

Me tenuis meares, rerumq; parabilis usus,
Mensq; sua quavis libera sorte beet.
Exiguo tamen ut vivam, dabit o dabit aetas,
Placatiq; dabit gratia mira Dei.

Vos modo docta virum studiis & amica corona
Et decus & patria flos columenq; mea.

Este

Este mei memores, mihiq; exorate IEHOVAM

Propitium, ac omni parte manete mei.

Non fuit in fatis, vobiscum ut suaviter annos

Exigerem, & vestras sepe potirer ope.

Verum erit in fatis, jamq; est statuente Iehova:

Totus ut in vestra sim maneamq; fide.

O patria o utinam pulchre prodesse liceret,

Gratior o utinam nostraq; opella foret.

Sed mihi jam satis est in vitam comprehendere causam,

Pluribus illa alias non eget ellogiis.

Ignotum ingredienti iter o mihi Christe faveto,

O mihi propitio numine promptus ades.

Tu mihi concilia clarorum corda virorum,

Quae cordi est pura religionis amor.

Da, bonus eventus mea vota & fata secundet:

Vnica sermonis res mei & esse velis.

Nominis in laudem sancti patriaq; quietem

Propositi nostri fructus ut omnis eat.

Jamq; reluctantem ne quicquam ducq; reducq;

Sim tuus, o seu das vivere sive mori.

AD SE IPSVM CON-

SOLATIO.

AMVH

B 2

Quid

Quid facis ah miser atq; parum cordate Selini?
Cur maceras te cogitationibus?
Sexcenta menti cura totidemq; pericla
Se suggerunt, tuumq; distrahunt caput,
O aude aude animum firmare Deiq; favorem
Preferre spler. dissimis ineptiis.
Quid cunctare? Dei instinctum cur tot regis annos?
Cur te reluctans sanctitati is perditum?
Quò te fata trahunt, sequere; ac cœlestibus auris
Recreatus omne devorato incommodum.
Quid patria, integrum cui te debes, tua poscat,
Ac quid Deus; vel nunc senior examina.
Sub lae privato taciturnam degere vitam
Cruce absq; & absq; lite forte est suavius.
Humanas tolerato vices, perferto labores,
Quos vult Deus, quos proximus desiderat.
Sic tibi sic melius labenti & proderis evo;
Vives beator, moriere latior.
Consilii ac solatii ea esto summa I E H O V A
Tuas anime mi inceptions prosperes.

MEDITATA AC PERSCRIPTA PRAGÆ


6. Februarij, Anno Domini; Qui ipse

In terris remittit nobis Debita & peccata nostra.

HVMA.



HVMANISSIMO AC DO-
CTISSIMO VIRO DOMINO MAGISTRO
IOANNI SELINIO ZACAE, AMI-
co & fratri charissimo.

 Ratiā & pacem à Domino, Doctissime vir, D.
M. Ioannes Selini, amice charissime, non dubito
te Zacam rediisse saluum & incolumem, ac tibi ex
animi tui sententia si non omnia, tamen quæ præ-
cipua, cessisse feliciter. Cùm autem ex familiari
colloquio, quod mihi tecum intercessit, cognoverim, te ma-
gnoperè optare, ut quicquid vitæ reliquum est, id studio Dei
gloriæ, ac tuæ salutis consecres: visum fuit has ad te dare lite-
ras, ut penitiùs cognoscerem, quid nunc tibi esset animi. Et si
verò minimè ambigam multos in statu vitæ politicæ, ac œco-
nomicæ posse bona frui conscientia: tamen non omnium esse
eandem industriam, vel potiùs idem felicitatis donum, ut in
vita civili ad prudentiam carnis non prolabantur, & consilia
Spiritus Dei non declinent, etiam multorum exemplis permo-
veor. Si itaque re benè perpensa à munere sacri Ministerii nō
abhorreas, ac hostium minas, amicorumque sinistra iudicia
despicere valeas: Deo ita annuente, tibi locum Diaconatus in
Kuttenbergensi Ecclesia apud me assigno, tibi que copiam fa-
cio, ut sive per literas, sive ore tenus apud Presbyterium Kut-
tenbergense mentem tuam aperire velis, id sine cujuscumque
impedimento efficere valeas. Vale, & Deum in negotio hoc
pio ac sancto sæpiùs alloquere. Data Kuttebergâ 8. Martii
Anno D. MDC. V.

D. Ioanni Thermenio, ac
D. Matthiæ Pessinio, meo ac
fratrum nomine salutem
adscribo.

Venceslaus Stephanus Thermenus
Minister verb. divin. Kutte-
bergæ.

B 3

EXIMIA

EXIMIA PIETATE ET DO-
CTRINA PRÆSTANTI VIRO D. VVEN-
CESLAO STEPHANO THERMENO; FIDE-

li Ecclesiæ Kuttebergensis antistiti, amico ac pa-
trono suo verè observando

S. P. D.

Lteras tuas Vir clarissime prudenter ac peramanter
ad me scriptas animo accepi gaudenti ac lubentissimo. Eæ
namque me sollicitum & anxium non solum delectarunt,
quod ipsum nunc beneficii instar puto: sed etiam crexerunt,
ab eaq; meticolosa magis quàm necessaria cunctatione abdu-
xerunt. Equidem vel sola ista benevolentia ostensio, qua me nuper Kut-
tebergam primùm venientem planeq; ignotum tractavisti, me in tui ob-
servantiam inclinavit, persuasitq;, ut mihi de tua voluntate, fide ac con-
stantia in me tuendo ac promovendo pro certo polliceri atq; confirmare
audeam. Quid multis opus est? restantissimum istis tam promptis officiis
amorem erga me tuum reliquisti. Utinam exoptatum illud aliquando tem-
pus adveniat: cum tu magis magisq; in dies singulos id voluisse te atque
fecisse unà cum tuis fratribus, viris doctis ac piis latari possis. A Dei vir-
tute, à Domini nutu, cui me totum dedidi, victoriam de me ipso atque
auxilium expecto. Ille quod in me jam dudum locutus est, in lucem pro-
ducat; quod inchoavit, perficiat, vel potius me de alieno suum faciat pla-
nissimè. Væ mihi, si quid hinc fucis aut fallaciis prento, quod religiosam
minimè addeceat disciplinam. Multa hic sese offerebant, quæ in animo
habui tuo impulsus candore perscribere. Sed mutavi consilium; uim
quia peculiari illa stylo fusiis (si ita Deo visum fuerit) pertractare consti-
tui: tum quia primam hanc ad te scriptam epistolam non tam ubertate
verborum luxuriosam, quàm animi rectitudine nervosam ac inprimis
pudentem esse decere judicavi. Igitur quòd me cordatè & bene Christia-
nè mones: in eo Christiani pastoris facis officium, quòd autem tam can-
didè atque amanter de me sentis, ut me etiam ultro in tuam amicitiam ac
patrocinium invites: in eo infinitum quiddam tibi debere me lubens cõ-
fiteor. Sic quod plena manu tam ingenuè offers, id ego ambabus usque
gratis accipio manibus; deq; eo te ut singularem amicum, ut sincerum
theologum, ut cœlitus mihi oblatum patronum, seu veriùs patrem amo
ut cum

ut cum maximè, habeoq; ac semper habebò charissimum. Kuttebergen-
se non devito cœlum: quin etiã vobiscum cupio esse consociatissimus.
Viam quam institi, in ea eodem ut passu pergã iter facere: Dominum
Deum vos itineris istius conseci exorate. Optimè vale vir eximie unã cū
tua lectissima conjuge, mellito filiolo, suavissimis collegis ac fratribus tu-
is, quibus omnibus, nominatim verò D Cypriano Pessino Zateceno mi-
hi ob illustrem erga me animi sui ostensionem charissimo ex me salutem
ut dicas, oro Omnes demum ego, Deo juvante, quã primùm ad
vos veniendi & liberius seriis de rebus vobiscum colloquendi conquiram
occasiones. Iterum vale. Dominus Spiritu suo te corroboret in propa-
ganda cœlesti sua veritate & ædificando contra omnes Sathanæ insultus
Ecclesiæ suæ nido.

Vel unius D. Magistri Matthiæ Grylli à Gryllova archigramma-
tei, viri in celebri hac repub. clari atq; honorati meo de hoc instituto ju-
diciũ universis plebeiorum sermonibus præfero. Id placuit transcri-
bere, ac ad te transmittere; quod tibi gratum spero futurum. Iterum at-
que iterum vale & salve. Zatecii ex meis ædibus 19. Martii, anno 1605.

Tuus verè & ex animo totus

Ioannes Selinius.

ORNATISSIMO VIRO DN. M.

Ioanni Selino, amico dilecto.


S.



Nte aliquot dies, Vir ornatissime, amice dilecte,
mihi podagra & chiragra laboranti, reddita fuit tua ornatè
& eruditè scripta epistola, quæ singularem quandam animi
tui erga me affectionem indicabat. Ad eam quod hæctenus
propter digitorum meorum debilitatem & plurimas quæ me
ex lecto surgentem & respirare volentem penè obruerunt, occupationes
hæctenus non respondi; quæso ut moram istam æquo feras animo. Nunc
verò id pau. is expedio. Certum est, vitam nostram non agi tenerariis
motibus,

motibus, sed à Domino Deo nostro disponi & gubernari. Illi enim cura est de omnibus, præcipuè de servis eius, qui totam spem suam in sola ipsius misericordia posuerunt. Vnde sequitur, eos satagendo nihil proficere, qui temerè hoc vel illud vitæ genus suscipiunt, nec expectant Dei vocantis nutum: Eos verò nimis socordes esse, qui ad munia vocationis suæ obeunda violenter cogi volunt. Trahit Deus: S E D trahit volentem. Loquitur pacem erga populum suum, & erga eos, quos benignitate profertur (Psal 85.) S E D ne revertantur ad stultitiam. Cùm ergo ex scripto tuo intelligam, te hæcenus (& quidem satis longo tempore) diligenter auscultasse, quid loqueretur in te Dominus, ac probè observasse, quòd consilia & inceptions tuas quasvis ex inopinato disturbaverit ac dissipaverit; tùm inquam te semel mentem impulit, ab ea ne sub quocunq; tandem prætextu diverteres, mirificè caverit & sanciverit: non video, cur debeas à me aut à quoquam alio ulterius, consilium petere. Ethnicus ad statuas Mercurii in trivis erectas scribebant: QVA DII VOCANT, EVNDVM. Tu verò homo Christianus dubitas ingredi viam, quam tibi monstrat Dominus. Tergiversaris in vineam Domini abire hora undecima. Vides messem copiosam, operarios verò paucos, & cunctaris falcem arripere. I quò te Deus vocat, nec metuas, ne respondeat labori tuo benedictio Dei & optabilis successus, cùm jussu & auspiciis ejus manum operi admovebis. Vale. Data Zatecii postridie S. Dorotheæ, 7. Februarii. 1605.

GRYLLVS.


GRATVLATIO HVMANIS-
SIMO ET PERERVDITO VIRO, M. IOHAN-
NI SELINIO, PATRIA ZATECENO, NATI-
one Boëmo, vocato ad ministerium Ecclesiæ Gut-
tebergensis, &c. scripta à M. VVolfgango Am-
lingo, pii voti loco.



Vmma Deus curat, fortunæ vilia linquit:
Sic agmen statuit nempe Epicure tuum.
Vilius ast vasto quid cernis in orbe docentum
Munere, quod Christo colligit ore gregem?
Destitui

Destitui tamen haud synceris sacra ministris.
Verbum aut cultores non habuisse, vides.
Ergo Epicure tace, rerum quia Christus habenas,
Non fors, in quævis, vilia, summa, gerit.
Sic nunc in messem te mittit docte SELINI,
Tempore quo messem mille pericla premunt.
Maeste animo pergas: duce quo tibi prompta voluntas,
Hoc duce cura, labor non tibi inanis erit.



EIDEM REVERENDO ET DO-
ctissimo viro, Dn. Magistro Selinio scriptum vo-
tum à M. Ioanne Ursino civi
Servestano.



Empora si spectes præsentia Christicolarum,
Inprimi q; sacrae religionis opus,
Quod miserè passim vesana Sophistica torquet,
Pervertens miris dogmata cuncta modis,
Accedunt rabidi ferventia murmura Martis,
Tristia qui sanctis undiq; fata parat:
Hæc igitur cernens, si Tartareo insuper ausu
Rideri videas iussa minasq; Dei:
Num credas superesse, sui qui destinet usum
Ingenii sacro spontè ministerio?
At non consiliis nostris nec viribus ordo
Pastorum regitur protegaturque sacer,
Patris ad æterni dextram qui regnat, ovesq;
Custodit tectas omnipotente manu,
Hic est, qui mentes nunc has, nunc excitat illas,
Et firmat Flatus robore corda sui,
Ad populum ut recte percepta oracula summi
Ausint intrepida voce sonare Patris.

C

QUOS

Quos inter sperem cum te quoque docte SELINI

Laturum patriæ commoda magna tuæ:

Gaudeo, quòd tandem Musarum culta tuarum

Officio dederis munera ritè sacro:

Et precor, ut compos voti pia concio mecum

Fiat, cui trades dogmata certa Dei,

Teque in summa poli susceptum templa, fuisse

Testetur fidum pectore & ore sibi.

Dominica nona post Trinitatis

Anno clx lcc v.

PIETATE ET DOCTRINA ORNATISSIMO

VIRO, Dn. IOHANNI SELINIO ZATECIANO,

bonarum artium Magistro, amico suo carissimo, scribebat

M. Ioan. Nepressius, civis & Senator Zacæ 20.

Iulii, Anno 1605.



Rma, viriq; fremunt, Turcæ, Tartariq; minantur

Christicolis, passim jamq; extrema omnia tentant.

His prius occultè, sed jam se jungit apertè

Hidra potens scelerum sævæ Babilonidis, istam

Novèris: haud altæ Nili quæ margine ripæ

Confidet, hospitibus tantum nocitura pericli

Ignaris: vel quæ Euphratis vada coeca profundi

Custodit latè, vicinaq; littora terret:

Sed quæ à nimbofis nobis vicinior Austris,

Non contenta avido vesani Tybridis alveo,

Huc sese ad Boream, & Zephyrum exitalibus ausis

Extulit, & furiis truculentior omnibus una,

Summa imis miscere, arasq; focosq; replere

Cæde, cruore parat, soloq; hoc nomine gaudet.

Prima feræ facies pulchra est, dat blandula verba,

Sirenum more, ast fraudem sub pectore versat

Indignam, assuetam toties tamen usq; maligno

Proposito: eventus probat acta. Diiq; hominesq;

Avertant tales à nostro limine pestes.

Tu

Tu qui res hominum curas, coetumq; pusillum,
Qui tibi confidit, I E S V Dux optime, adesto,
Ipse fer auxilium, & secl'o succurre labanti.
Effudere tuo multi pro nomine vitam
Iam pridem, multiq; animas posuere sub undis,
Testis es Albi pater, testes Tibiscus, & Ister,
Sequana, cum Rhodano, Rhenoq;, & plurimus amnis.

Tu tamen usq; pios non cessas, optime Pastor,
Mittere, dilectisq; tuis donare docentes.
Hos inter geminos rara pietate Magistros
Nunc excivisti ex nostris, Ianumq;, Selinum,
Atque Melissaum Vencläum: queis tua cordi
Gloria, terrigenumq; salus, concordia, vita.

CHRISTE fave coeptis, sacro rege flamine utrumq;
Adq; tuas laudes celebrandas suffice vires:
Perpetuò ut satagant studioq;, operaq;, fidei
Plurima grata tibi, nostræq; salubria genti
Perficere, atq; astus, mirasq;, refellere fraudes
Monstri horrendi, immanis hydræ: quod non sine Divum
Numine præstari poterit: Petite, adsit I E S V S.

Clariss. viro

Pietate & sinceriori doctrina præstanti, D. M. Joanni Selinio
Zateceno, ad Sacrosanctum munus Ministerii Evangelici, vocante Deo,
suadentibus amicis, sese accingenti, amico veteri tanquam Fratri
honorando, cum approbatione huius tam pii & honesti
propositi, amoris & honoris ergo acclamabat.

DVM DEVS & pietas tibi curæ est, docte SELINI:

Officii exequeris munia vera tui.

At DEVS & pietas te cogunt: ergo memento

Imperio mitis subdere colla iugi.

Ille potens Dominus, coeli terræq; creator

Oeconomum sacra te jubet esse domus.

Hem, renues? ah non; quoniam coelestia vanis

Præstant, & fluxis sunt potiùs bonis.

Accedet tantis dives benedictio captis,

Ac Domini multa messe vigebit ager.

Dum

Dum fido agricolæ gaudebit, tu modò ventos
Contemne adversos, & mala disce pati
Pessimus his nunquam bona novit reddere mundus,
Ingenio quos scit non benè velle suo.
Te verò soli Christo parere juvabit
Qui plenus flagris, proximus ille DEO est.

Lidomercii ad Albim 27. Iulii Anno 1505. stylo novo.

M. Elias Strykolsky à VVolovirze.

M. Sophomæ Rolacij, civis ac Syndici Reipub.
Zatecensis. S. D.

DVm satagis Christi pastor gregis esse SELINI:
Faula tibi optanti quæ rata vota dabo?
Solius auspicio sunt talia vota vocantis.

Auspice si Domino progredieris: satis est.
Cætera sunt frustra. nam quæ tibi format amicus;
Signa animi ostendit, non rata vota facit.

Ergo age & auspicio Domini confide vocantis,
Hoc que tuum aggredere ac urge animosus iter.

Quicumq; ad iussum Domini sua retia laxat,
Lucra sui supra spem capit obsequi.

Vade auspicio, Christi gratia & benedictione comite.

A L I V D.



Vblimi exoriens polo, minora
Silente emicat inter astra cornu
Qualis Cynthia: Czechicas per urbes
Demtâ unâ facilè eminet sorore

GVTTENBERGA, opibus soli beata
Auratis: eademque puriore
Cultu Numinis optimi beata.

Vrbs præclara bonis perenne tantis
Gaudero: viden', affatim Selinus
Mentem multiplici arte perpolitus

Tibi gaudia ut ista nunc adauget?
O quàm conveniens & hunc & illam
Sors jungit! nec enim videtur impar
Ministro locus & loco Minister.

Nathan Voithi Servest. Med. D.

F I N I S.

Nh 1236.

80

f



ULB Halle 3
 002 819 279

an 31 nur verknüpft JA → OL
 f1-5 # 40 Stück
 f23

VD 17 Ne





... in dem Buch



... in dem Buch

de.





M. IOHANNIS SE-
LINII ZATECENI
BOHEMI

3750

ITER ANHALTI-
NUM,

deq; eo doctorum ali-
quot virorum iudicia.

1. *Timoth. 3 v. 1.*

Si quis episcopatum appetit : præclarum
opus desiderat.



SERVESTÆ,
Excudebat Iohannes Schleer, Anno
OMnis honos & gloria sit Deo In aLtis.

MDCIII

66

